


05 A 472

05

A

472



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-547247-p0002-9

DFG

I. N. 7.
DISSERTATIO ACADEMICA
*EXPO*NENS
**NOTAS ECCLESIAE
ORTHODOXÆ VERAS,**

ET REFUTANS
BELLARMINI XV. FALSAS.

QVAM
PRÆSIDE
VIRO

*SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO*

DN. JOH. DEUTSCHMANNO,
SS. THEOL. DOCT., EJUSDEM QVE PROF. PUBL.
IN HAC AD ALBIM ACADEMIA CELEBRATISSIMO, h.c.
DECANO SPECTATISSIMO, ALUMN. ELECTORAL.
EPHORO GRAVISSIMO,

DNO PATRONO, PRÆCEPTORE, STUDIO-
*RUM QVE MEORUM PROMOTORE SUMMA ANIMI
OBSERVANTIA DEVENERANDO,*

PUBLICE DEFENDET
R E S P O N D E N S

JOHANNES MICHAEL RÜCKER,
ROTENBURGO-FRANCUS,

A. d. Ic LXXVI.


D. XX. MARTII. HORIS ANTEMERIDIANIS.
IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



05 A 472



C. B. D.



Vi aliquando Ecclesiæ Informator futurus erit, is, ut consulat conscientiæ suæ, certus prius sit de Ecclesiæ veritate, quam optimè dignoscendam docent Ecclesiæ Notæ: Hinc quia Meorum est voluntas specimen Academicum afferre, eas pro modulo ingenii & temporis brevitate exponam. DEUS hos conatus adjuvet.

CAPUT I.

De

Notis Veris Ecclesiæ Orthodoxæ.

SECTIO I.

Comprehendens terminorum explicationem.

§. I.

Ulm optimè res declaretur, si veritas stabiliatur & exponatur, siq; falsitas removeatur: hinc consultum duco prius agere Cap. I. de Notis Veris; In Cap. II. verò de Spuriis atqve falsis.

§. 2. Anteqvam autem rem ipsam aggrediar, monendum quid puto necessarium de vocabulo Ecclesiæ: lucem enim præfert tractationi nostræ; si paucis indicamus Etymon, & ex hoc

A 2 signi-

significationem ostendimus, deinde autem Homonymiam removemus.

§. 3. Qvoad Notationem, vox Ecclesiæ origine græca est, qvam debet verbo ἐκκλησία, evoco, & sic evocationem qvandam notat, qvæ fit Deo Autore, & Ministris, Prophetis, Sacerdotibus, & Apostolis atqve Pastoribus hodiè (Tit.1. 5. Eph.4. 12.) mediante qvidem vel verbô Scripturæ tantum, vel adjunctâ voce præconum. Vid. Magnif. Dn. Præses, in Methodica A.C. Repetitione, Disp.12.

§. 6. Miracula enim non tam ad Causam Ministerialem, qvam ad ejus autoritatem roborandam pertinent, ut observat B. Hülsemannus in Extensione Breviarii Theol. cap.17. §.9. p.289. edit. in 4.

§. 4. Ætate autem jam Apostolorum comune erat, cœtum Christianorum congregatorum voce Εὐκλησίας indigitare, qvod factum ideo existimant Theologi (1.) ut hoc ipsô cœtum suum à Judæorum distingverent, qvippe qvi potissimum voce Synagogæ utebantur ad designandum suum cœtum. vid. B. Himmelius in Syntag. Theol. L. de Eccl. §. 6. (2.) qvia vocabulum hoc etiam gentilibus erat notum. Athenis enim duplices conventûs usitatos fuisse constat, qvorum alterum Εὐκλησίων, alterum αἱρετικῶν vocabant. (3.) Qvia Ecclesia N. T. futura erat universalis. (4.) Qvia vocabulum hoc notat utrumqve terminum à Qvo & ad Qvem; evocatio enim sine his concipi ne qvidem potest, qvod solidè iterum deduxit devenerandus Dn. Præses c. l. qvi addit per Qvem; Qvi ipsi est status regenerationis & sanctificationis; per hos enim actus nostra vocatio in Ecclesia militante fit. (5.) Denique qvia nos bonitatis divinæ admonet, evocare enim à domo ruinosa ad ædificium regium omnino bonitatis est.

§. 5. Qvoad Homonymiam impropriè vocabulum Ecclesiæ notat qvemcunqve cœtum, sive profanum, sive sacrum. Act. c.19. v.32. 39. 40. propriâ autem significatione, eaq; strictâ, notat tantum congregationem sacram fidelium; Hinc Inscriptiones Epistolarum Pauli freqventer gerunt verba Ecclesiæ DEI. I. Cor. I. v.2. & hujus Ecclesiæ DEI membra vocat fideles. Eph.I. I. Qvando autem Templum, vel chorus congregationis Ecclesia audit, significatio Biblica non est, sed Ecclesiastica. vid. Phil. Sobr. Meisneri part.2. qvæst. 13.

§.6. Ut

§. 6. Ut ad Notas ipsas veniamus, Observamus I. varias olim à Doctoribus fuisse constitutas: Et ipse Lutherus Septem proponit in Libro de Conciliis part. ult. vid. B. Meisnerus in Tract. de Eccl. Sect. V. c. 2. memb. I. Verùm reliquæ, præter commemo- ratas in Aug. Conf. Art. VII. sunt Speciales, qvæ certæ Ecclesiæ conveniunt, non verò generales, qvæ omni. Sic & obedientiam Ministerio debitam Augustinus de fide & Symb. Notam veræ Ecclesiæ facit, cui alii adjungunt crucem; Verùm illa elucet in au- scultatione Verbi & usu Sacramentorum, ex qvibus tanquam fru- etus ex arbore nascitur. Hæc accidens potius est, qvam nota pro- pria essentialis, pro qva ideo venditur, qvia perpetuus comes ve- ræ Ecclesiæ est.

§. 7. II. Observ. Notas esse vel Essentiales & proprias: ut pura verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio; Vel accidentales & communes; Hæ sunt externa qvædam & in sensus incurrentia Ecclesiæ Ornamenta, ut diurna duratio, feli- citas temporalis, multitudo, Martyrum constantia, longa series Doctorum sibi succedentium, & similia; vid. B. Meisnerus Tr. de Eccl. Sect. V. c. 1. qvæst. 2. p. 773. Essentiales sunt perpetuæ, adeoq; necessariæ Ecclesiæ visibili, sive Ecclesiæ consideratæ, qvalis per se & sua natura est, qvando nullis pressa persecutionibus, nullisq; obiecta corruptelis, sed in connaturali, ut loquitur Dn. D. Mu- sæus in Tr. de Eccl. statu suo constituta plenâ gaudet libertate. vid. §. 109. c. l. B. Jac. Martini Partit. Theol. Disp. 27. in prædica- tione verbi distingvit inter id, qvod est DEI simpliciter, & hoc ipsi verbum est, qvod prædicatur: & qvod est officii hominum, ut præ- dicatio, & hujus actus & modus, qvi est sinceritas, scil: ut sincera sit prædicatio. Verbum simpliciter Ecclesiæ necessarium dicit; Hoc etiam agnovit acutissimus Theologus B. Menzerus, & tam clarum hoc esse dicit, *ut qui negare velit fronte eam carere & con- scientiam oporteat*; qvalem Cusanum fuisse idem refert Disp. 4. An- ti-Pist. p. 129. Duos autem verbi actus abesse posse, sed de facto, verâ manente Ecclesiâ, censet Martini, qvia non statim suspensô actu secundô, tollitur primus.

§. 8. Referuntur autem duæ dictæ Notæ ad Ecclesiam ut Causa formalis: (*malunt alii uti termino medii.*) Suntq; Ecclesiæ

Notæ tām constituendæ, qvām conservandæ ; seu prout absqve
verbo & usu Sacramentorum in primis Baptismi Ecclesia neqve
esse neqve conservari potest ; Illis enim generatur fides, per qvam
membra Ecclesiæ sunt, qvod sunt. Sunt ergò hæ duæ Notæ tūm
à priori, qvia Ecclesiam constituunt & conservant ; tūm à posterio-
ri, qvia Ecclesia DEI verbo & usu Sacramentorum constituta ipsa
jam verbum DEI rursus prædicat, aliis commendat, interpretatur,
Sacramenta administrat, doctrinam vindicat, asserit atqve pro-
pagat. Hinc dicere possum, ubi est prædicatio verbi pura & le-
gitima Sacramentorum administratio, ibi est vera Ecclesia. Effe-
ctus enim proprius indicat mihi suam Causam à posteriori, &
Causa arguit mihi effectum à priori. Qvocunqve modo hæc duo
respicias, Notæ Ecclesiæ erunt, posteriorem tamen respectum
Theologi potissimum observant.

§. 9. Magnus fuit Theologus Beatus nunc, qvi unam suffice-
re Notam putabat inductus hac ratione, qvia legitimus Sacra-
mentorum usus (cùm Sacra menta sint verbum visibile) includatur
purâ verbi prædicatione. Si enim aliter instituuntur & admini-
strantur Sacra menta, usus verbi purus non erit ; & hanc insuper
rationem annexit, qvia eadem necessitas harum Notarum non
est, dum Ecclesia Israélitica per 40. annos in deserto circumcisio-
nem intermisit. Verùm enim verò, qvia distincti externiq; actus
sunt prædicare verbum & administrare Sacra menta : hinc duas
Notas cum Aug. Conf. ex Art. 7. credo. In primis si considero agi
hīc de visibili Ecclesiâ, cui publicum & quietum permittitur Exer-
citium, ubi omnino administratio Sacramentorum ad veritatem
Ecclesiæ ob DEI mandatum & nostram indigentiam necessariò
reqviritur.

§. 10. Accuratè observat Vir Excellentissimus, Patronus
meus Sammus & filiali observantiâ devenerandus Dn. JOH. LUD.
HARTMANNUS, SS. Theol. Doctor Celeberrimus, Superintendens
Rotenb. ad Tub. vigilantissimus in MSS. sua Theologia Polemica
& mox cum expectatione lucem visura, qvòd hīc agatur de illis
notis, qvæ propriè ab illis attendendæ sunt, qvi in Ecclesia Chri-
stiana versantur, Scripturam receperunt, & ambigunt, qvinam
Chri-

Christianorum cœtus sit vera, sincera & incorrupta Ecclesia :
Gentiles enim demùm mediante lumine naturalis judicii adhibito
in lectione Scripturæ & observatione Criteriorum ejus, itemq;
collatione concionum Ecclesiarum cognoscere possunt, qvæ Ec-
clesia vera sit, scil. qvæ verbum purè proponit, & Sacramenta se-
cundùm institutionem Christi administrat, & ita edoctus sum
qvæst 4. c. loci.

§. II. Dicta autem hæc puritas non respicit verbum, sed
purum usum verbi : Verbum enim purum esse potest, licet impu-
rus sit usus. Sic & Sacramenta sunt Ecclesiæ Nota, non qvatenus
Essentia eorum pura, sed qvatenus usus purus est. Qvæ tamen pu-
ritas gradus admittit, & inæqualiter se habet, ita ut aliquando ma-
gis, aliquando minus purè prædicetur verbum. Non tamen statim
qvæcunque impuritas tollit veritatem Ecclesiæ, sed qvæ in funda-
mentalibus est ; si itaque fundamentum sartum rectumq; retine-
tur, manet Ecclesia, modò hoc observatō discrimine, ut qvò purius
prædicatur verbum, eò purior sit Ecclesia, & contrà. Ob hanc au-
tem impuritatem Pastorum Auditores non damnamus, qvia aures
eorum pùriores sàpiùs sunt, qvàm labia Pastorum ; imò Ecclesia
æstimanda non est ex solis Pastoribus, nec ex qvibusdam paucis,
possunt enim nonnulli errare, aliis persistentibus orthodoxis ; to-
tius itaque Ecclesiæ doctrina ante omnia investiganda venit, qvia,
ut habet HUTTERUS in Disp. XIII. Disputationum XXII. §. 72. Ec-
clesia vera (qvæ sic dicitur non præcisè, prout abstrahit ab Eccl-
esi pura & impura; sed comparatè in comparatione ad Ecclesiæ he-
terodoxas) utitur corrupto Ministerio, secundùm illud Christi
Matth. 23. v. 2. 3. In Cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, qvod
dixerunt vobis, facite.

§. 12. Et hîc apprimè notandum, qvod observavi in MSS.
Parentis mei DANIELIS RÜCKERI, qvondam *Magni Bern-
hardi Ducis Sax: Et c. Confessionarii & Consiliarii Eccle-
siastici Castrensis, deinde Superattendentis & Consistorii Præsidis*
Rotenburgi ad Tub. nunc Beati : ubi habet, qvòd pura & legitima
prædicatio sit nota Ecclesiæ puræ & incorruptæ. Prædicatio vero
verbū

verbi & administratio Sacramentorum simpliciter considerata, sit nota Ecclesiæ simpliciter & absolutè loquendo, non habito respectu ad puritatem vel impuritatem, ita ut per hanc distingvatur tantum à cœtibus profanis, qui sunt extra Ecclesiam, per istam vero à cœtibus hæreticis, qui sunt in Ecclesia.

§. 13. Vox *Prædicatur* h.s. non significat præcisè actum ipsum prædicandi externum, quem Pastores efficiunt: sed potius professionem totius Ecclesiæ sinceram, talemq; etiam Auditorum acceptiōnem.

SECTIO II.

Continens Sententia Confirmationem.

§. 14. Communiter probant Notas dictas veras esse I. ex definitione & propriis affectionibus, sc. quia (1) Notæ nostræ notatum certò indicant ac demonstrant, seu nos ducunt in cognitionem Ecclesiæ, quæ latet & quæritur, quod inde patet, quia non potest non esse ibi vera Ecclesia, ubi pure prædicatur verbum; hoc enim Ecclesiæ officium est Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15; quod officium, quando obit, dicitur effectum; Jam omnis effectus ostendit suam Causam sive omne officium proprium certò ostendit suum subjectum. (2.) Quia soli Ecclesiæ nostræ Notæ convenient, quippe cuius principium est, & extra Ecclesiam non inveniuntur. Esa. 59. v. ult. Matth. 13. v. 24. Hoc tamen intelligendum est, quantum ad αληθειαν non præcisè etiam κριτηριον: Sat is est, inquit Magnus noster Theologus Dn. D. CALOVIUS, si in re nota sit propria, non est necessum, ut Bellarminus ineptit, quod in hominum opinione propria sint. Nam proprietas & Nota rei non dependet ab opinione humana, sed à re ipsa: videantur ejus Scripta Philosophica p. 518. edit. Witteb. (3.) Quia convenient Ecclesiæ semper, cum impossibile sit dari Ecclesiam & quidem visibilem sine publico & puro religionis Exercitio. (4.) Quia notiores sunt Ecclesiæ nimirum in probando; hujus autoritas à scripto DEI verbo dependet; alijs quidem notior est Ecclesia verbo non Θύσις, sed καθηματις, idq; saltim ratione Notitiae conjecturalis non infallibilis, quia vera Ecclesia nobis infallibiliter

con-



constare non potest , nisi in quantum cognoscitur ejus veritas ;
Vera autem cognosci non potest , nisi veritas ejus deprehendatur
in Scripturis , qvia non aliter vera est doctrina ejusdem , nisi qua-
tenus Scripturæ congruit . vid . Disp . XIV . in A . C . § . 9 . Magnifici
D . GALO VII . Notior etiam est Ecclesia sensibus , quatenus vi-
deo & audio congregationes quasdam fieri , ita ut mihi constet ,
esse quandam Ecclesiam , non tamen notior est Ecclesia verbō , si
consideramus propositionem illam , Ecclesia est vera : Sic enim
magis notior est intellectui prædicatio pura , quam Ecclesia vera ,
quoniam illa hujus Causa est , quippe Ecclesia per prædicationem
Evangelii & administrationem Sacramentorum alitur & conser-
vatur . Conf . I . Corinth . 4 . v . 15 . I . Pet . I . v . 23 . Jac . I . v . 18 . Joh . 3 .
v . 5 . Tit . 3 . v . 5 . Causa autem per naturam notior est effectu , hinc
nemo potest scire , quod sit vera Ecclesia , nisi prius sciat , quae sit ve-
ra prædicatio verbi . Reliquas affectiones notarum nostris conve-
nire , ulterius deduxerunt , B . Meisnerus Tr . de Eccl . Sect . V . c . 2 .
memb . 2 . p . 790 . B . Menzerus Disp . 4 . Anti - Pist . § 45 . 83 . B . Gerhar-
dus in LL . Theol . L . de Eccl . § . 126 . 145 . Nos paucis argumenta-
mū : Cuicunq;e competit notæ definitio cum affectionibus , id
nomine notæ venire debet , Atqui nostris notis &c . Ergo .

§ . 15 . II . Qvia jam in V . T . populus DEI nullò aliò modò
distinctus fuit à Gentilibus quam verbō & Sacrementis . Exod . 12 .
& 20 . Deut . 4 . v . 6 . Ps . 147 . v . 19 . Ita , ut is , qui cognoscere vellet , qui-
nam esset populus DEI seu vera Ecclesia , has notas animadverte-
re habuit necessum .

§ . 16 . III . Patet etiam assertio nostra ex Matth . 7 . 16 . Ubi
Christus veros Doctores à falsis Doctoribus dignosci vult ; quan-
do illi uvas (doctrinam veram) hi spinas proponunt sive doctri-
nam falsam ; Ex quo colligimus ita : per quod Ecclesiæ Doctor
sincerus à falsis Prophetis distingvitur , per illud etiam Ecclesia
vera à falsa . Ratio , qvia qualis est doctrina , quae in publico Mi-
nisterio Ecclesiæ sonat , talis etiam indicatur esse illa Ecclesia .
conf . Locus Luc . 6 . v . 45 . Testimonia Patrum & Pontificiorum ha-
bent Theologi B . B . Meisnerus & Gerhardus , hic in LL . Th . L . de
Eccl . § . 138 . Ille Sect . V . c . 2 . p . 802 . c . 1 .

B

§ : 17 . Nos



§. 17. Nos adjicimus IV. ex B. KÖNIGII Theologia Acromaticca argumentum ex Eph. 2. vers. 19. 20. Ubi (1.) certum est, Apostolum agere de Ecclesia vera, qvia hujus membra appellitat concives Sanctorum & domesticos DEI. Hanc autem Ecclesiam (2.) inde dignosci vult, qvia superstructa est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, sive super doctrinam veram, hæc enim his indigitatur, dum omnis doctrina, qvæ est Apostolorum & Prophetarum, vera est. (3.) Ergò concludimus: Qvicquid soli Ecclesiæ veræ competit, & tanquam Character ab Apostolo Paulo allegatur, illud est nota veræ Ecclesiæ; Atqui esse superstructum seu vera doctrina soli Ecclesiæ competit &c. Ergò. Major patet, qvia per propria rei res cognoscitur; Sunt autem hæc propria quarti modi, qvæ uni, soli & semper competit, ut risus homini & puritas doctrinæ veræ Ecclesiæ. Minor ex textu patet.

§. 18. V. Probamus ex Joh. 10. vers. 26. collato loco i. Corinthis. ii. ex his enim duobus locis utraqve nota nostra patet. In illo loquitur Christus (α.) de oībus seu veris Christianis, jam qvæ est Nota singulorum Christianorum, illa debet etiam esse Nota totius Ecclesiæ, qvia Ecclesia nil aliud est qvām collectio & congregatio Christianorum; ut ita meritò miretur Judiciofissimus olim nunc B. Theologus MENZERUS Pontificiorum stuporem, negantium de tota Ecclesia, qvod singulis & solis & veris Christianis competit. vid. ejus Disput IV. Anti-Pist. pag. 129. Jam verò qvod (β.) notandum, cognoscitur verus Christianorum chorus, qvando audit DEI verbum, h. e. recipit & tractat, prout à D E O dictum, qvod colligitur ex intentione Christi, q. æ est ostendere veras oves ex eo, qvia audirent vocem Christi, non Pharisæorum, qui quidem etiam habebant verbum DEI, sed non tradebant sensu divino. In altero loco Apostolus censet congregations Corinthiorum, & ostendit eas veras non esse, sed falsas, qvia legitimè non uterentur Sacramentō Cœnæ; Ubi observ. Notas nostras valere tam affirmativè, ita ut dicam, ubi sunt hæ notæ, ibi est vera Ecclesia, qvām negative, hoc sensu: Ubi hæ duas notæ non sunt, ibi vera Ecclesia non est; ita qvia hæ notæ

apud



apud Corinthios non erant, congregaciones eorum ut non veras, Paulus taxat, & ut corrigat eas, proponit ipsis regulam & normam, secundum quam congregaciones suas instituant, ut sint laude dignæ, seu veræ, quæ est legitimus Sacramentorum Ussus; scil. si utimur Sacrementis, ut Apostoli acceperunt à Domino, & isti nobis tradiderunt.

SECTIO III.

Exhibens Argumentorum vindicationem.

§. 19. Variè autem infestant Adversarii Pontificii argumenta prolata, pro Notis Ecclesiæ orthodoxæ; Et variè etiam & eruditè vindicarunt eas Theologi nostri, quorum operâ & nos uti volumus.

§. 20. Primò autem in genere rejiciunt nostras Notas ut insufficientes & probabiles tantum, quia non monstrant electos, & indicent tantum, ubi Ecclesia lateat, non vero quæ Ecclesia sit vera. Sed (1.) Rz. Contrarium suprà ostensum esse ex definitione & affectionibus Notarum applicatis. (2.) Non quæritur de Notis Electorum, sed Ecclesiæ. Nec (3.) Pontificiorum Notæ Electos monstrant, sufficit ergo nobis scire in Ecclesia, per Notas nostras ostensa, esse Electos, quia solus DEUS καρδιογνώσης est.

§. 21. Excipiunt ad Observat. 4. §. 14. Notas nostras non esse notiores renotatæ: Quia nos statuamus non tantum prædicationem, sed & receptionem verbi; Jam dicunt non constare, ubi verbum verè recipiatur; Verum enim vero receptio nostra non interior est, sive fidei, sed exterior, sive obedientiæ, quando nempe veræ doctrinæ locus datur. Urgent isti ulterius, notius omnino mihi esse, quænam sit vera Ecclesia, quam quæ sit vera prædicatio: Quia hoc ab Ecclesia discimus. Sed ad hoc jam responsum in Observ. 4. § 14. ad quæ reponunt, omnino Ecclesiam notiorem esse prædicatione verbi, quia ab Ecclesia discendum, quæ prædicatio sit vera; Verum hoc tantum inde sequitur, in vera Ecclesia sonare publicè puram prædicationem verbi, sed quæ sit illa vera Ecclesia, non nisi ex verbo DEI dici potest. Accedit, quod concedamus, officium Ecclesiæ esse verbum prædicare & conser-

vare, sed notamus tamen, prius Ecclesiam esse constitutam verbo DEI; Hinc notior natura non est verbō, qvia verbum Ecclesiæ Causa est. Optimè egit hac de re CARLETANUS contra Concil. Trid. p. 162. inqviens : *Ostendit Ecclesia Scripturas, sed Ministerio suō, ostendit Scripturæ Ecclesiam, sed autoritate suā.* Qvæ reliquæ sunt Objectiones, eas Observationibus ad Terminos & ad probationes refutare possumus.

CAPUT II.

De

Notis falsis & Spuriis.

MEMBRUM UNICUM.

§. I.

Consideratis hactenūs Notis veris Ecclesiæ Orthodoxæ, ordine naturæ progredimur ad falsas: grave autem anteponendum censemus judicium Theologi Summi DN. D. CALOVII, qvod de Notis securitis omnibus in Exegemate A. C. Art. VII. Cap. V. §. 9. habet, qvod est de Notis veræ Ecclesiæ, ubi inquit : *Et ut simul omnia dicam, papisticae Notæ vel non sunt verae notæ, vel certè saltim sunt communes, impropriae, nec necessariae, vel verisimiles tantum, vel deniq; si veræ sint & infallibles, cum nostris eadem sunt.* Has nunc confutare pretio esse non putamus, eqvidem eo ipso dum probatas deditus atque vindicatas notas veras, spontè seqvitur, reliquias veras non esse, vel ad minimum accidentales atque communes, qvæ externa tantum sunt privilegia; Esse enim Catholicum, Apostolicum, visibilem, accidentale tantum & commune est, ut mox patebit clarius.

§. 2. Varias autem ponere Pontificios Notas & in earum numero non convenire, demonstrat B. MEISNERUS in Tr. de Eccl. Sect. V. cap. ult. p. 827. ubi habet propriam Bellarmini confessionem, Driedonem l. 4. c. 2. part. 2. de Eccl. dogmatibus, & Petrum à Soto part. 1. defens. c. 44. tres ponere notas: Hosium autem quatuor in Expositione Symboli; Sanderum de visibili Monarchia L. 8. ponere sex idem Bellarminus L. 2. c. 3. fatetur. Ipse autem Bellarm. exhibet quindecim, quibus veritatem Ecclesiæ nostræ subvertere nititur.

Has



Has nos proinde examinabimus & ostendemus, istas Pontificiorum notas, ut affectiones Ecclesiae nostrae convenire verè ad unam.

§. 3. Omnia autem primò ponit esse *Catholicum atque Christianum*; quā notā Ecclesiae nostrae veritatem ita evertere audet: Quæ Ecclesia à Christo Christiana dicitur & à religione Catholicæ, illa sola est vera, Atqui Romaña &c. Ergò. Verūm inaniter. Nam 1. jam olim Protestantes post felicissima reformationis initia denegarunt Pontificiæ Ecclesiæ titulum Catholicæ, sensu scil. Patristico, quō denotatur vera Dei Ecclesia, concedentes tamen sensu eo, quō Catholicum esse, idem ac amplissimè se extendere, & hoc dicitur B. Meisnero c. l. Catholicismus quantitatis. Qvod autem ita etiam sensu Patristico in Actis publicis Ecclesiam Pontificiorum indigitarint, id ideo factum, quia videbant rebus sæpè nomina sine re imponi, ut hīc: ob hoc posuerunt, si non semper, talis tamen semper eorum mens erat, Romano-Catholicæ. Non obscurè ergò innuebant, aliud esse *Esse*, aliud esse *Dici*: Et multos dici Orthodoxos, qui nil minus, quam Orthodoxi sunt: Vocabula enim dependent ab arbitrio humano; conf. Act. 8. 10. ubi Simon Magus dicitur μεγάλην δύναμις τῷ Ιησῷ, talis tamen non erat. 2. Petit hæc nota Pontif. principium, hoc enim queritur quæ sit illa Ecclesia Catholicæ &c. 3. Est nota separabilis, vid. Pacianus Epist. 1. ad Sempron. & inde est, quod Witakerus negat Symbolum Apostolicum ab Apostolis fuisse confectum, quia in eo habeatur nomen *Catholicæ*, quod tamen tunc temporis erat ignotum. 4. Concedimus ipsis Catholicum (α) quidditativer talem seu Logicum, quatenus compositum quid est ex partibus, & sic totum quid. Non tamen (β) quantitativer talem, sep Physicè, quasi Catholicæ Ecclesia sit ratione nostri, utpote multas regiones obtinet αρχότης Gentilium, & agmen improbum Turcarum. Nec etiam omnia tempora comprehendit, modò tantum omnis generis personas. (γ) Multò minus concedimus ipsis, Ecclesiam illorum Catholicam dici posse ratione qualitatis, quia univer-

sam suam doctrinam scriptis Propheticis & Apostolicis consenteam esse probare nequeunt. Secessum enim eos à sanctitate doctrinæ fecisse monstrat scriptum istud accuratum B. Nic. Hunnii, quod prostat sub Titulo Apostasia Romana; Et in Tr. furher und gründlicher Bericht. &c. idem ostendit Pontificiam Ecclesiam ne quidem Christianam esse 1. quia privat Christianismum mediis, unde habeat doctrinam divinam. 2. autem media falsa assuit, 3. Veram salutem detrahit. vid. p. 3. 4. & seqq.

S. 4. Majori autem jure nobis tribui posse Catholicismum doctrinæ, patet facile, quia nos nostram doctrinam constanter probamus ex scriptis Apostolicis, & sic innuimus, nos profiteri universam fidem ac doctrinam, quæ semper ab Ecclesia Catholica credita fuit religiosè. Vid. B. Meissnerus Sect. IV. c. 3. p. 300. 301. seqq. & Menzerus, cui in hac significatione Ecclesia universalis est absolutè talis Disp. 4. Anti-Pist. p. 125.

S. 5. Contra modò dicta urgent. 1. Si exinde Ecclesia dicitur Catholica, quia habet doctrinam universam totam atque omnem, quam semper habuerit Ecclesia orthodoxa, sequitur quemvis Christianum, qui hæc habet, Catholicam Ecclesiam dici; Verum mancum hoc est, quia hoc tantum inde sequitur, quod talis Christianus sit membrum Ecclesiæ Catholicæ, quia de doctrina Catholicæ participat. Pontifici autem id notis expobrant: Nostram Ecclesiam Catholicam dici non posse, quia continetur paucis & exiguis regnis: It. quia Lutherus hoc nomen ex Symbolo Apostolico exploserit, substituto vocabulo Christliche. Verum Resp. ad l. quod (i.) Ecclesia sic dicatur non positivè semper, quasi necessarium sit, ut illa semper in provinciis vel in maximis orbis partibus reperiatur, id enim non volunt ista vaticinia Apoc. 12. 6. c. 17. 23. 4. Contrarium etiam testata est experientia tempore Arianismi, qui ferè totum orbem inundaverat. Consentit nobiscum Cardinalis Bellarm. L. 4. de Eccl. c. 7. hinc (2.) nec respectivè sic dicitur, quasi numerosior semper sit Ecclesia vera quam Hæreticorum; Sed (α) negativè, quod non sit alligata ad certum locum. (β) potestativè vel virtualiter, quia semper hanc

hanc habet dērāpi se extēndēdi. vid. B. Meissn. c. l. p. 279. seqq.
Ad II. Resp. 1. Qvod ante Lutheri tempora in aliquibus jam exemplaribus fuerit inventum vocabulum Christliche. 2. Lutherus ipse rationem facti exponit: sc. sciebat nomine Catholicum esse olim tempore Theodosii circa annum 360. ex mandato Imperatoris fideles contradistinctos fuisse Hæreticis, qvare, qvia videbat hæreticam Pontif. Ecclesiam sibi hoc nomen tribuere quasi in peculium, hinc ut nostram Ecclesiam veram ab illorum falsa & denominata Ecclesia Catholica distingveret, posuit vocem Christliche.

§. 6. Ne justò longius nos detineamus, rejecto Catholismō ut nota est, vindicato nobis, qvatenus est affectio Ecclesiæ veræ, Separabilis licet. De II. nota falsa quid monebimus.

§. 7. Ponit autem Bellarmīnus Secundō locō Antiquitatem; Qvæ autem dupli modō potest intelligi, ut video id observatum in MSS. B. Parentis mei; vel enim consideratur, qvatenus conjunctam habet doctrinæ cœlestis veritatem ac sinceritatem, vel qvatenus ab ea est sejuncta ac separata; Illo respectu omnino concedimus, plurimum valere antiquitatem & ita intelligendi etiam sunt Patres, qvando adeò Antiquitatem commendant. Hoc respectu nihil valere dicimus, & notam esse negamus. I. Qvia Ecclesiæ non convenit semper, nec ei genuina ac propria est; fuit enim tempus, qvō Ecclesia nondum fuit antiqua, ut tempore Adami in V. T. & Christi in N. T. Vera tamen Ecclesia semper est. Sic ex hypothesibus eorum dicimus, Indorum Ecclesiam non esse antiquam, & sic non veram, qvod nunquam dicent, qvia multò antiquior erat Indis cultus Idolatricus. Dicis, antiquam esse illam Ecclesiam antiquitate doctrinæ; concludo ergo non antiquitatem temporis, doctrinam potius Apostolicam notam esse. II. Qvia non convenit Ecclesiæ soli, dum (1.) jam inde ab initio fuit civitas Dei & Diaboli; (2.) etiam gentiles contra Christianos prætendebant antiquitatem, vid. B. Gerhardus L. de Eccl. §. 126. ut & (3.) Hæretici. III. Qvia Patres non ad antiquitatem, sed veritatem potius provocarunt; Et IV. in utroque jure Canonicō & civili antiquitas veritati subjicitur.

§. 8. Qvod



§. 8. Qvod autem Adversarii dicunt, veram Ecclesiam antiquorem esse falsā; id nos concedimus, qvia illa in primis parentibus, hæc autem in Caino cœpit, nondum tamen seqitur Antiquitatem per se & solam, imò etiam illam, qvæ non est simpliciter prima, esse notam veræ Ecclesiæ. Deinde loquitur Bellarminus aut de Ecclesia in genere, aut de Ecclesia in specie N. T. Si de illa, non potest dicere, qvod vera Ecclesia antiquior sit falsā, qvia ipse negat L. 3. de Eccl. c. 16. Adamum & Evam constituisse Ecclesiam, hinc omnino statuere debet Ecclesiam veram & falsam simul cœpisse, illam in Abele, hanc in Caino. Si autem loquitur de Ecclesia in specie, manifestum est, Judæorum Ecclesiam esse Antiquorem,

§. 9. Nec Ecclesia Romana potest dici antiquissima omnium, si nimis consideratur ea facie, qvâ hodie adpareat, qvippe secundum qvam penitus mutata est, à Romana ista Ecclesia, qvæ olim ab ipsis Apostolis erat plantata vid. B. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. B. Hunnius citatis locis, & Magnif. Dn. Præses in felicissimâ discussione Anatomiæ Thomæ Henrici; hic enim probat ex Anshelmo Havelbergensi, qvod jam ante IV. secula de novitatibus in Ecclesia Dei fuerit conqvestus.

§. 10. Nostræ autem Ecclesiæ veram antiquitatem competere, luce clarior res est, qvia nos antiquissimam doctrinam tenemus, qvæ non à Lutherò introducta, sed à qvisqvilibus Pontificiorum repurgata, & pristino nitorि restituta est. Jam qvis domum renovatam domum novam dicet: nisi idiota planè, cui videtur ista domus nova, qvæ tamen renovata tantum est: Sic & religio nostra Idiotis istis Papisticis nova videtur, qvæ tamen est antiquissima, cujus Parens non demum fuit Lutherus, sed tantum ejus Medicus: Qvando autem Lutherus vocavit eam novam, intelligendum est non ratione existentiæ, sed ratione apparentiæ, non aliter ac ut Christi doctrina Judæis, Pauli verò Atheniensibus nova videbatur atque stultitia Act. 14. 1. Cor. 1.

§. II. *Tertiam Notam ponit Durationem:*
Verūm qvam absurdè hæc nostram evertere audeat Ecclesiam, ex
mox

mox dicendis fidem habebis; Accepit autem terminum duratio-
nis, vel respectu temporis præteriti, & sic coincidit cum Antiqui-
tate, contra qvam in præcedentibus disputavi; vel respectu tem-
poris futuri, nec sic nota propria est; qvia duratio etiam cœtibus
malignantium communis, adibis Turcismum, Gentilismum &c.
& fidem dabis dicto, & hoc idem est, qvod innuit Christus
Matth. 13. v.39. Scil. paleas tritico admixtas futuras usqve ad mes-
sem seu seculi consummationem; hic enim denuò hædi ab agnis
segregabuntur. vid. B. Meissnerus c. l.

§. 12. Est insuper hæc Nota incerta & ignota, nec etiam Ecclesiæ semper convenit, illud patet, qvia nemo certò demon-
strabit, hunc, vel illum cœtum visibilem duraturum semper; si
provocas ad promissiones Ecclesiæ factas: Rz. Eas esse factas non
cuivis cœtui visibili, sed potius Ecclesiæ Catholicæ. Hoc autem
patet, qvia nec Ecclesia Apostolica, qvæ post ascensionem in cœ-
los per prædicationem verbi in toto terrarum orbe colligebatur,
non poterat de diuturna duratione, qvalem Bellarm. h. l. intelli-
git, gloriari.

§. 13. Nec etiam competit Ecclesiæ Romanorum hoc attri-
butum; qvia isti jamdudum suam doctrinam mutârunt, ut Cen-
turiatores Magdeburg. ad singula secula defectus hos notârunt.
Ipse etiam CHEMNITIUS eos observavit in Exam. Conc. Trid. HUN-
NIUS in Apostasia Ecclesiæ Rom. aliiqve qvamplurimi idem ege-
runt cum CALIXTO in Disp. de Conjugio Pastorum.

§. 14. Nostræ autem Ecclesiæ è contrario aptissimè tribui
potest, etenim ista ab Apostolis plantata, in persecutionibus ten-
tata, in Papatu abscondita fuit, seu latuit. Nam ante Papatum
idem nobiscum docuisse Patres, magnô ausu & felici effectu id
demonstrat D. PAPPUS in Augustino Orthodoxo. Sub Papatu au-
tem nostra Ecclesia fuit, licet non semper & ubique haberit hanc
faciem, qvam habet, qvâ Lutherana dicitur, semper tamen eas-
dem actiones habuit ad efficientiam spiritualis tûm generationis
tûm nutritionis, licet etiam non ipse Papatus purus fuerit; Nam

C

etiam



etiam ibi, ubi Hæreses & Anti-Christianismus prædominari videbantur, in Ecclesia non omnes æqualiter occupatos fuisse, & ab iis corruptos ex Natura providentia DEI docet incomparabilis qvondam Theologus nunc B.DORSCHÆUS in Kirchero devio c.VI. §. 222. pag. 711. Membra verò hujus Ecclesiæ sunt illi homines, qui per VI. præcipua fidei Capita, per publicam Bibliorum Lectiōnem filii DEI geniti sunt: tabulas enim has matrimoniales in Papatu integras servatas fuisse, docuit eventus, admixtis licet falsis explicationibus, tamen ipse textus Dei beneficiō inviolatus manfit. vid. B. MEISNERI Anti-Lessius part.3. rat.1. pag.359. Nam etiam ubi sanctificantes actiones Societas habuerunt adversarias & contradictorias; h. e. ubi verbum divinum prædicatum habuit verbum humanum, erroneum, eversivum cœlestis veritatis; Non planè generatio & nutritio spiritualis cessavit, qvia verbum divinum infinitè superius est humanō, & ita ne ab hoc destruatur, semper actu ipso obstat sapientissima & providentissima D E I gubernatio.

§. 15. *Quarta Nota*, qvam ponit Bellarminus, est *Amplitudo*, seu multitudo, & varietas credentium; verùm iisdem ferè refellitur hæc Nota qvarta, ac suprà prima; Hoc tantum addimus, qvod in Scriptura sèpiùs ut grex pusillus futurus prædicetur vera Ecclesia. Esa.1. v.8. Soph.3. v.12. Luc.12. v.32. Jam si Amplitudo est Nota, tunc parvus & pusillus grex Ecclesia vera non est, qvod est contra dicta citata.

§. 16. Qvod autem ad Vaticinia, nobis pro amplitudine objecta Psal. 72. 8. Actor. 1. 8. I. R. Hoc, ea tantum velle, qvod Ecclesia Novi Testamenti non amplius Judææ limitibus futura sit inclusa. II. Continent Ecclesiæ Novi Testamenti statum, non perpetuò futurum, sed tempore tantum Apostolorum Psal. 19. 5. Rom. 10. 18. III. Nec reqviritur ad complementum horum Vaticiniorum, ut uno tempore omnes gentes Evangelium accipiant, sed sufficit successivè id factum.

§.17. Ipsí

le-
ab
lis
VI.
es,
io-
Pa-
lis
an-
am
ias
uit
on
di-
ur,
EI

§. 17. Ipsi Pontificii suppositiā hāc notā carent in sua Ecclesia, qvomodo cunque etiam explicit hanc amplitudinem, doctrinæ enim non est, ut supra ostensum, nec est locorum, licet multorum, non tamen, ut isti reqvirunt, hoc, omnium ferè vel maximorum: neutrum ipsis competit, ob Ecclesiæ in Asia, Cilicia, Armenia, Palæstina, Tartaria, & in Insulis Orientalibus, Persia, Africa, Ægypto, Æthyopia, de Ecclesiæ Lutheranorum & Calvinianorum amplissimis nil addo. conf. PHIL. NICOLAI de Regno Christi, ubi statum Ecclesiæ in omnibus mundi partibus invenit. conf. B. GERHARD, L. de Eccl. §. 186.

§. 18. De Amplitudine Ecclesiæ nostræ querelas ducunt Pontificii ipsis, dum vident August. Confess. conversam in variis lingvas ubique orthodoxa semina sparsisse. vide querelas Bellarm. Tom. 4. Operum in Oratione præfixa sub fine, item Tom. 1. præf.

§. 19. *Quintam Notam ponit Successionem Episcoporum*, ; verū malè pro Nota venditat Successionem, in primis si Personarum, locorum sive externam, non verò simul doctrinæ sive internam intelligit. Nam I. Ecclesiæ non convenit semper & perpetuò, qvod in Christo & Apostolis paret, qui nulli successerunt. II. Nitebatur Successio Pontificum in Veteri Testamento DEI mandato & promissione, nihilominus tamen in Ministerium publicum errores in Ecclesia Israëlitica intrarunt; Ergò multò minus Pontificum Romanorum Successio tutam facit Ecclesiam ab erroribus, quippe qvæ nec mandatum, nec promissione DEI habet. Qvod autem Pontificii Locum Esa. 62. 6. urgent, alii ex illis applicant vel ad Angelos vel ad Patriarchas in cœlis orantes pro salute Ecclesiæ. Bellarminus verò Tom. I. de Bon. Operibus Lib. I. c. 19. applicat ad Cantatores perdiros & pernoctes horarum Canonistarum. Paucis nos ad illum dicimus, nullam

conseq̄uentiam esse : D E U S promittit Hierosolymæ Novi Testamenti excubias & custodiam in muris perpetuam ; ergo præstabit id per topicam successionem certorum custodum in Cathedra sibi invicem succendentium . ! res fuit promissa , qvæ hic est custodia , non verò rei modus . Adde visibiles haud esse muros Hierosolymæ Novi Testamenti , & alia omnino dari potest custodia , præter visibilem , qvia non tantum illi *non tacēt* , qvi in certa , oecumenica & eminenti cathedra sedent ; Sed & alii sunt , qvi inter *non tacentes* referri possunt , & tamen in cathedra exili loquuntur . III . Successio Loci & personæ sine doctrinæ successione manca est , imò nulla ; & conjunctâ hac duplici successione Patres usi sunt , tanquam argu- mento evidenter illustrationis , non tamen apodicticæ de- monstrationis .

§. 20. Stapletonus in relect. principiorum fidei contro-
rov. I. de Eccles. qvæst. 4. agnoscit , nullam esse veram Suc-
cessionem localem , qvæ est sine doctrina vera , qvam Pontifi-
cios non habere , demonstrarunt superiùs citati Theologi §. 13.
hujus cap. Qyanquam nec localis & personalis Successio fir-
mō stet talō ; qvia I. est dubia & incerta , tum ratione origi-
nis , uti demonstrat B. OSIANDER in Enchirid. Theolog. c.8.
de Roman. Pontif. qvæst. 3. p. m. 71. Scilicet originem pugna-
re cum Calculo Scripturæ , ita ut Petrus novem annis post mor-
tem præfuiisset Ecclesiæ Romanæ , tum ratione continuationis ,
ubi statim disruptō ordine ponuntur Successores Cathedræ Pa-
palis ; controvertitur itaqve , qvinam verus fuerit Successor .
Qvi enim Linum ponunt Petri Successorem , eis Latinorum tur-
ba aliter reclamabit : Imò & Græcorum plurimi in hac causa
Latinos non destituent , sin autem Clementi hic honor dabitur ,
plures id improbarunt ; qvod ex Irénæo , Tertull. & aliis de-
duxit Vir Excellentissimus Dn. D. HARTMANNUS in der Evan-
gelischen Antwort / auf die Frag von der waaren Kirchen p. 97.
Imò disrupta fuit Successio sub Hæreticis Episcopis , ut Zephe-
rino Montanistâ , Marcellino Idolatriâ &c. vid. TERTULL.

ad



ad prax. DAMASUS in Pontif. B. GERHARDUS c. l. §. 197.
B. MEISNERUS in Anti-Leslio. part. 2. confid. 7. pag. 159, &
in muriis Babyl. §. 80. seqq.

§. 21. Nostræ autem Ecclesiæ Ministros veros Aposto-
lorum Successores esse, constanter ostendimus I. qvia non San-
ctorum filii sunt, qui tenent loca Sanctorum, sed qui exercent
opera eorum. II. Ubi vox Apostolorum sonat, ibi Cathe-
dra Apostolorum est, & hæc Successio extraordinaria commo-
dè dici potest, qvæ DEUS utitur. Si ordinariæ Pastoribus or-
thodoxis succedunt lupi perversa docentes Actor. 20. 29. Et
ad hanc extraordinariam successionem confirmandam non re-
quiruntur miracula. (1.) qvia contrarium patet in Jeremia &
Johanne Baptista. (2.) qvia indicant Anti Christum 2. Thes-
salon. 2. 9. (3.) qvia Lutherus novam doctrinam non attulit,
sed Christi & Apostolorum, cuius Successor fuit, obq; hoc
sufficiebant ipsi Apostolorum miracula. (4.) Non omni mi-
raculo caret extraordinaria hæc successio, consideranti hoc
patebit.

§. 22. Ut ad Sextam devéniamus Notam, ea
Bellarmino dicitur, *Conspiratio in doctrina cum
Ecclesia Antiqua*. In qva constituenda nos non habe-
ret Contrarios, si per antiquam Ecclesiam intelligeret Aposto-
licam, in qva viguit pura verbi prædicatio. Si verò sequentem
intelligit, debebat meminisse, Notam hanc esse obscuriorem,
& cognitu difficultorem, quam ipsa Ecclesia est; Sic enim ad
cognoscendum cœtum consentientem cum Antiqua Ecclesia
opus erit laboriosâ historiarum evolutione & collatione cum
voluminibus Patrum, ubi certè facilius ex Scriptura id cogno-
scere possumus.

§. 23. Licet autem Nos concedamus Bellarm. orthodo-
xam fuisse Ecclesiam V. Seculorum priorum in multis, sed non
C. 3. omni

omni modo in omnibus, qvia 1. Patres interdum extra conflictum liberiūs, &c, ut videtur, sāpē etiam duriūs locuti sunt. 2. Satanas jam tempore Apostolorum Mysterium iniqvitatis operari fecit; si jam hīc, magis in sequentibus seculis. 3. Egregia sunt verba Egesippi apud Euseb. qvōd Ecclesia non diu post Apostolorum tempora manserit virgo. L. 4. c. 22. Manet inde, nec opus esse, tanqvam cum norma conspirare doctrinam hodiernæ Ecclesiæ cum Scriptis Patrum: qvanqvām nos prompti simus comprobare nostram doctrinam ex Patrum scriptis: licet non ut ex norma.

§. 24. Qvōd autem hæc Nota, qvæ est conspiratio cum Ecclesia antiqva non competit Ecclesiæ Pontificiæ, sed nostræ, deduxit M E I S N E R U S in Muris Babylon. §. 103. seqq. B. G E R H A R D U S c. l. §. 206. 227. usqve ad 231. omnia enim tractare prolixius esset. Notabimus modò pauca: Et qvidem (1.) concedimus semina qvædam inveniri errorum papalium in scriptis Patrum. (2.) tamen non constituimus omnes Patres omnium errorum Papalium Patronos; Patres enim nāvos hos tantum habuerunt in semine, Pontificii verò eos tenent in Spica, ut nonnemo loquitur. Imò perversō sāpiūs sensu Patrum dīcta à Pontificiis in alienum sensum detorquentur, sic quid Patres scribunt de satisfactione Ecclesiastica, Pontificii torquent & trahunt id ad satisfactionem pro peccatis: Et id qvod illi scribunt de libertate arbitrii à coactione, hi ad libertatem à corruptione transferunt.

§. 25. Ordine igitur vehimur ad *Notam Septimam*, qvæ est *Unio*; hæc inter se, & cum capite intercedit; ubi caput est Christus, cum qvo fide fideles conjunguntur, per puram verbi prædicationem: Est ergo Unio vere fidei Eph. 2. 20. qvam si Pontificii intelligerent, nil aliud posserent, qvām Notam nostram primam, qvæ est verbi prædicatione; Verūm qvia illi unionem qvandam intelligunt, qvod claram est, qvæ est inter Ecclesiam & Papam, tanqvām universalem
—Epi-

Episcopum; Dicimus quod hæc Nota non sit perpetua, sicut videmus in Ecclesia Anti-diluviana & separabilis, quod agnoscat Bellarm. L. 4. de Pontif. Rom. c. 4. Et actu etiam multæ Ecclesiæ erant separatæ à Papa, quæ tamen veræ manserunt, ut Asiaticæ Ecclesiæ à Victore, quæ nihilominus post ejus tempora veræ manserunt: Sic & Romani ipsi à Marcellinô suo Papa se separarunt, ut etiam à Johanne, Felice, Liberio, & aliis. vid. Beat. MEISNERUS in Tr. de Eccl. sect. V, c. ult. pag. 851.

§. 26. Qvam syavis autem apud Pontificios sit unitas & Harmonia, monstravit id exquisitissimè B. DORSCHÆUS in prælim. ad Kircherum devium §. 7. p. 24. Item in Disp. ad Exod. c. 3. v. 5. p. 77. Huc pertinent pugnæ inter Vasquezium & Svarezium: Item inter Thomistas & Molinistas de prædeterminatione gratiæ, inter Franciscanos & Dominicanos de immaculata conceptione virginis Mariæ. Vid. Gerhardus in Bellarmino. Orthodoxo. Thomas Jansenius in Bello Papali.

§. 27. Qvia vident Pontificii dissensionibus inexplicabilibus se detineri, hinc sibi in solatium easdem nobis affingunt. Verum nos 1. Respondemus ex illo Apostoli Iohann. 2. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; Nam si fuissent ex nobis, utique permanissent nobiscum. 2. Sic est fortuna Ecclesiæ, ut oriantur in ea schismata. Nihilominus tamen 3. uti Luc. 5. v. 6. miraculo quodam perscrissum rete copiosa piscium multitudo concludebatur, sic in scissuris Ecclesiæ veritas Ecclesiæ militantis servatur, & ad vitæ æternæ portum homines adducuntur.

§. 28. Octava, quem constituit Bellarminus, *Notitia est Sanctitas doctrinæ*; Qvia omnis sanctitas puritatem includit, hinc ex aſſe hæc Nota convenit cum nostra prima, quæ est pura doctrina; Quod autem ipse de professione adjicit, estimanda hujus sanctitas ex Sacris literis, qvia etiam

Hære-



Hæretici professionis sanctitatem sibi tribuunt; vel ut obser-
vat Magnif. Dn. D. CALOVUS, qvia vera sanctitas non in ore,
sed in corde consistit, manente interim abscondita sanctorum
vita in Christo Col. 3. v. 3. vid. ejus Exegema A. C. Art. VII.
qvi est de Ecclesia cap. 2. §. 2.

§. 29. Despiciendum ergò est, qvam sancta sit Eccle-
siæ Rom. doctrina? vel ex solo Epicureismo illorum patet,
qvem suis hypothesis inferunt, dum enim 1. Statuunt, pri-
mos motus non esse peccata, licet istis indulgere aliquis
potest, qvæ tamen peccata esse probant Nostri ex Rom. 7.
2. Statuunt peccata qvædam naturâ esse venialia. 3. Observan-
tiam legis tantum externam. vid. B. DORSCHUS in prælim. ad
Anti Kircherum §. 27. 28. 29.

§. 30. In nostra autem Ecclesia dari sanctitatem ve-
ram, ex remotione modò citatarum hypothesis constat;
item qvia solius Dei gloriam spectat, & qvæ in ea sunt vitia
morum, illa non sunt ex principiis doctrinæ nostræ, sed ex vi-
tio hominum. vid. TENTZ, contra Frommum. p. 195.

§. 31. *Quoad Notam Nonam Bellarmini,*
qvæ est Efficacia doctrinæ, miror cur hanc proferat,
neqve metuat, Lutheranos eam pro se adducere posse; Nam
notum est, qvod isti Scripturam, à qua omnis efficacia do-
ctrinæ dependet, vilipendant, dum eam vocant mortuam, re-
liqua eorum convitia recensere abhorreo; vide ergo illa a-
pud Costerum in Enchiridio; & apud Nigrinum Prof. qvon-
dam Wittebergensem, qvi ea detexit in contemptu Scriptu-
ræ Papistico; Verum qvia hoc ipsis facere videtur ad confir-
mationem suæ Ecclesiæ, paucis considerabimus, num hæc
Nota sit, & an illi competit, an verò potius nostræ.

§. 32. Multum quidem gloriantur, qvòd suâ doctrinâ
multas hominum myriades, convertant, idqve probare sata-
gunt

gunt exemplis Indorum, ipsaqve etiam experientia, cur non exemplo Hungariæ? Qvia varia in his proponunt, sigillatum ad ea qvædam monebimus. I. Qvod eorum conversionem concernit, ea non est ex verbi efficacia, istud enim purum non habent, (velim hoc intelligi de conversione eorum inter Christianos) Si enim purum esset & tam efficax apud illos verbum; qvæ dementia illos caperet, ut arma externa vi doctrinæ internæ fortiora ipsis sint, res desperatæ causæ est, & secundum hypothesin suam Pontificii judicant, veram apud illos Ecclesiam haud esse, qvia destituitur illorum doctrina efficaciam convertendi, qvæ apud nos intrinseca est doctrinæ nostræ. Qvod ad Statum Hungariæ, terra hæc, qvæ salva à ruina vix est, non efficaciæ doctrinæ Pontificiæ ad Partes Pontificiorum cessit, sed vel mota est promissis, qvod certum; vel minis deterrita ob magna pericula, (qvod experti haec tenus sunt, sed nunc liberati à servitute superstites ex istis 72. ad tritemes damnatis Pastoribus captivis.) Qvod autem tantos thracones agant de Conversione Gentilium in India, miror, cum constet, qvod non Deus Gott / sed Aurum, Gold / illos allexerit ad inqvirendas novas insulas. Et nota etiam sunt media conversionis, qvæ non fuerunt verbum, sed ferrum. Videatur etiam, eorum conversionem magis perversionem esse, qvod iis proprium est. Conf. 2. Tm. 3. v. 17. Matth. 23. v. 15. Tandem respondeant nobis, unde sit ad Turcicam religionem (si ita dicere licet) tantus confluxus, & sic nobis ostendent rationes confluxus ad Pontificiorum Ecclesiam.

S. 33. Qvæ Decimo affert de *Vite Sanctitate*,

ea jam attigimus in Nota Octavâ. Hic tantum notamus, ob Sanctitatem apparentem Monachorum, distinctionem inter Sanctitatem internam cordis, & externam oris & operis; non illam, sed hanc, ipsis concedimus. Licet & hæc Nota Ecclesiæ esse non possit, qvia incerta & dubia est, dum etiam ab hypocritis exhiberi potest, eamqve Anti-Christum simulatum prædictum est Dan. II. v. 38. Apoc. 13. II. c. 14. 4. non ali-

D

ter

ter ac ut meretrix sese virginem mētitur. Qvia Pontificii Sanctitatem hanc vitæ potissimum ad Doctores referunt, sciendum, qvod hic non ex vita, sed ex doctrina æstimandi sint, qvia nobis Deus dedit homines Doctores, non Angelos.

§. 34. Qvod autem Undecimō profert *Gloriam miraculorum*, non vacat hīc terminum miraculi, aut ejus naturam explicare; sed ostendemus potius contra eos, malè ponere hanc Notam Pontificios, qvod colligimus inde, qvia I. miracula fecere (nos hic non loquimur de miraculis strictè sic dictis, qvatenus Deus solus ea facit, sed latè) etiam Gentiles. conf. 2. Tim. 3. v. 8 Exod. 7. 12. c. 8. Matth. 7. v. 22. c. 24. v. 24. Turcæ, conf. GERHARDUS L. de Eccl. §. 273. Dicis miracula præstigiatoria fuisse. Respondemus, nec nos hodie alia concedere possumus à Pontificiis esse facta. Diabolus enim hominum oculis glaucoma ac varias præstigias ita objicere potest, ut sæpius videre sibi videantur, qvod non vident; Hinc non sunt divina sed diabolica, qvæ omnibus modis ab illis differunt, & qvidem (1) Causis Efficientibus, Divina enim Deum autorem habent, qui interdum utitur Ministeriō Angelorum vel hominum piorum, ut & hīc potestas ejus pateat: Diabolica verò Sathanam, qvi impiorum servitio ad hanc rem utitur interdum. (2.) differunt cœnâ formaliter, ubi illa nunquam sunt putativa & imaginaria; hæc verò plerumque (3.) finali, Illa enim tendunt ad doctrinæ cœlestis & mandatorum Dei confirmationem; hæc contra. (4.) Instrumentali, nam Deus vel immediate vel mediate utitur operâ Prophetarum, Apostolorum & aliorum pietate præstantium virorum. Diabolus vero utitur beneficis, hariolis, præstigiatoribus, sagis &c. Denique (5.) modō agendi, Deus enim simpliciter qvid fieri velit, mandat, atqve interdum media adhibet; Diabolus verò vult adhiberi certas formas verborum, pulveres, figuræ, imprecations & alia media. II. Qvia donum miraculorum Ecclesiæ non competit semper, qvippe

pe qvod progressu temporis post Apostolorum tempora desiit.
Matth. 10. v. 1. Marc. 13. v. 13. cap. 16. v. 17. Luc. 9. v. 1. cap. 10.
v. 9. 17. &c. De miraculis Jesuitarum in India vid. GERHARD
DUS §. 203. 285. Qvoad Nostram Ecclesiam, qvia nos non no-
vam doctrinam proponimus, miraculis opus esse non cense-
mus, ratio supradicta. Urgent tamen Pontificii, ad missionem
extraordinariam persuadendam miraculis omnino opus esse,
idq; probant ex Exod. c. 4. Matth. 10. Joh. 15. qvibus probare
aliqvis debeat, se esse ad hoc moliendum missum; jam, inquit, LUTHERUS missionem ordinariam non habuit ad introducendam aliam doctrinam, qvippe juramento obstrictum eum fuisse dicunt, ad propagandam gloriam & salutem Ecclesiae Romanæ; Et qvia detimento potius fuit qvam emolumento, reqvirebant ab eo extraordinariam vocacionem confirmandam miraculis; Verum Missio & vocatio dupli ratione dicitur, vel respectu ordinis in Ecclesia publicè recepti, vel respectu ordinis à DEO instituti; Illa spectat ad corruptelas vulgo receperas abolendas; hæc ad cultum, qvem DEUS instituit, mutandum; Ad missionem extraordinariam sensu priori miracula non reqviruntur, posteriori verò semper; Illam LUTHERUS habuit, dum juramento se obstrinxit prædicare verbum DEI purè, & ita etiam administrare Sacra menta, qvod fieri certè aliter non potuit, nisi pretiosum à vili separando; Qvæ verò obgarriunt de propaganda gloria Ecclesiae Romanæ, id dubio procul intelligendum est, qvatenus est orthodoxa, qvalis, qvia opinione tantum fuit, re ipsa talem ex DEI verbo LUTHERUS efformare debuit, voluit.

§. 35. Qvod *Duodecimò* affert *Lumen Propheticum*; Not. qvod per illud intelligat vaticinia, qvæ vel sunt ordinaria, consistentia in interpretatione Scripturæ, & sic referimus ea ad puram verbi prædicationem, & notam esse concedimus, de qvibus agitur Joël cap. 2. v. 28. vel extraordinaria, sita in prædictionibus futurorum, qvæ nec sic Ecclesiæ Notæ sunt. 1. qvia non sunt Ecclesiæ propria, conf. Deuter. 13.

vers. i. Numer. 24. v. 16. Jerem. 23. v. 25. 2. Reg. 13. v. 18. ubi falsi Prophetæ lumine Prophetiæ etiam participant. 2. Non sunt perpetua, qvia de novissimi Ecclesiæ temporibus in Scriptura nullum extat promissum, qvod habitura sint vaticinia; Joélis autem vaticinium cap. 2. tantum de primo tempore Novi Testamenti accipiendum, non de perpetuo.

§. 36. Vaticinia à Georgio Tavmaturgo, & aliis ejusmodi, potius ad Ecclesiam Græcam pertinent, qvam ad Latinam. Brigittæ verò, & Catharinæ, & aliarum revelationes etiam à Pontificiis sanioribus in dubium vocantur. Qvæ autem à LUTHERO sunt edita vaticinia, habet GERHARDUS c. l. §. 290. 291. & MEISNERUS Tract. de Eccles. Sect. V. cap. 3. pag. 874. ex Melanchthonie allegat, LUTHERUM durantibus Comitiis Augustanis domi manentem prorupisse ex lecto, & exclamasse : **VICIMUS.**

§. 37. Notam Decimam tertiam, qvæ Bellarm. est Confessio Adversariorum, his modis refellimus. 1. Non est certa. 2. Non perpetua. 3. Non notior. 4. Non Causalit. Johann. 5. v. 34. 5. Non propria, vid. B. GERHARD. c. l. §. 293. Et cur hanc Notam ponit Bellarmenus, num Confessionem expectat à Gentilibus? qvippe qvi vivent Pontificios vivere in luxu & superbia; num à LUTHERO & Lutheranis? Licet ille dixerit, omne bonum Christianum esse sub Papatu, eumq; nucleus esse Christianitatis, qvia alud est loqui de Papatu, aliud de Ecclesia sub Papatu: Item inter pretiosum & vile distinxit, prius, non posterius laudat. Qvod autem ad nostram Ecclesiam, testimonia veritatis habet à multis Pontificiis, inter quos sunt Erasmus, Georgius Cassander, ex quibus testimoniiis nos nil lucramur, qvia nobis sufficit, doctrinam nostram placere DEO.

§. 38. Ad Notam Decimam quartam, qvam dicit esse Infelicem Exitū Adversariorum,
notan-

notandum, quod infelix exitus sit talis, vel καθ' αλιγάτων, &
ἄρτως, seu verè, vel καὶ δόξων, & οἰανοπλίων, seu apparenter;
illo modo malus exitus est, quando persecutores in peccato per-
severant & moriuntur, ut plerique Hæretici, Jesuitæ & Mona-
chi; Sic q̄; Nota Ecclesiæ non est, quia nobis non certò constat,
an aliquis in articulo fidei pœnitentiam egerit. Hoc modo
infelix exitus est, quando mortis genus est tragicum, nec sic no-
ta est: Quia hoc tyrannis Ecclesiæ non semper competit, aut
iis solis, siquidem etiam multi pii & orthodoxi miserâ morte
pereunt, apparenter scil. re ipsa enim pretiosa est coram Domi-
no. Psal. 116. v. 15. Qvæ autem de morte LUTHERI mendacis-
simus Bellarmini Spiritus profert, ea habet ex pessimis istis
Sycophantib⁹, Cochlaeo, Staphylo, Bolseco. Alia & veriora
consignavit de LUTHERI morte SCHLEIDANUS, & ipse etiam
THUANUS. conf. B. MEISN. in Tr. de Eccl. Sect. V. c. III. p. 879.
880. B. GERH. L. de Eccl. §. 297. 298.

§. 39. Tandem cum *Nota Décima quinta*
Spuria deveniendum ad ultima Disputationis nostræ, qvæ
dicitur Bellarm. *Felicitas*. Verùm I. contra Scripturam
dicit, qvæ dictis & exemplis monstrat, Ecclesiam veram ferè
semper subjectam esse cruci. Sic 2. certè vix Ecclesia verior
esset, qvām cœtus Turcarum & Epicuræorum. 3. Negant Pa-
tres argumentationem hanc. Vid. GERH. c. I. §. 299. Qvæ au-
tem objicit de victoria piorum, ad ea dicimus, qvòd nulla con-
sequētia sit; quia etiam sæpius impii de piis victoriam de-
portant. Hæc de Notis tām veris, qvām
falsis sufficiant.

DEO LAUS ET GLORIA.

••• (o) •••



D 3

Exer-

Exercitum miles ferocem jactitet,
Et impetus acres eqvorum prædi-
cet, (tas,
Gubernet Imperator Urbes incly-
Et colligat totius Orbis incolas
Sub Fæcibus: Placet magis Credentium
Beata concio, qvibusvis cœtibus
Præstantior, qvin semper invictissima.
Hinc paginas laudo tuas ECCLESIÆ,
RÜCKERE, gratulorq; diligentiam.

ABR. CALOVIUS, D. P. P. PRIM.
& Super. Gener.

Esse Notas certas, qvæ Cœtus agmina Sacri
Demonstrant, certò pagina sacra docet.
Hasce Notas sanctis commendat Spiritus almus,
Qvilibet ut possit noscere signa Gregis.
Tu, RÜCKERE, Notas docto conamine veras
Ecclesiæ tradis, falsaq; signa moves.
Perge piis studiis benedic! Gratia Cœli,
Et vehet ad portum facta sacra bonum!

JOHANNES Deutschmann / D.

Ecclesiæ qvæ vœm sit, & qvæ videatur?
RÜCKERE, Patris, de Patria promeriti almâ,
Propago, doces hic satis arduo labore.
Quid gratuler, aut ominer hoc carmine curto
Dilecte? sat est, præmia si tibi favoris,
Ac spes alias, auspice Christo, comitante
Laude hanc mediocri augurer. Hac, hæc tibi signo!
Officii amicitiae caussâ Conterraneo ac Com-
mensali svavisimo

GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS, Orat. P.P.
Ad

Ad
Clarissimum, atq; Doctissimum
DN. R Ü C K E R U M,

Fautorem, atq; Amicum colendum.

Surgis in exemplum summi, RÜCKER, Parentis,
Magni Sionis Luminis.

BRISACI, atqve alibi plantaverat entheus ardor
Ecclesias CHRISTO sacras.

Has ut restituat DEUS, atqve è faucibus Orci
Papalis, oras, liberet.

Ipse Tibi zelum PATRIS, atqve charismata sancta
Exopto toto pectore.

scr. amicâ mente, & manu

M. JOH. SIM. Schernhauer/
Diac.

Madrigal.

Die Zeichen sind sehr gut/
So Er in Seiner Streitschrift setzet.
Sie zeugen / außer Gottes wahren Kirchen/
Von Seinem Fleiß / den Er bereits gewiesen/
Als uns die Saal ernähret und gelehret/
Nun macht Er sich dem Elb-Athen gepriesen/
Wie auch dem werthen Vaterland/
Das wird dadurch ergezzet/
Ja nimmet diß statt Lorbeer-Blätter an/
Die Ihm mit Recht auch hätten zugehört/
Hätt' Er Sie nur nicht von sich abgewandt.
Er fahre fort / wie Er bisher getahn.

Ich wünsche Glück / diß ist die rechte Bahn!

Mit diesem geringfügigen ehrte Seines werthgeschätzten
Freundes / und vertraulichen Tisch-Gesellen
Hn. Rückers rühmliches Beginnen
Carl Christian Riß / D. H. S. B.
Ma.

Madrigal.

Fin Held / wenn er zu Felde sieget/
So theilt er vor der Schlacht/
Der ganzen Krieges-Macht/
Das Rund-Wort aus / eh' er noch frieget/
Damit der Freund und Feind
Im Treffen wohl zu unterscheiden seind.
Gott lässt die Kirche streiten/
In dieser argen Welt/
Doch zu der rechten Seiten
Pflanzt er das Gnaden-Zelt/
Und giebt den Frommen seine **ZEICHEN**/
Dass sie im Feld-Panier
Nicht von dem Himmel weichen/
So lang sie streiten hier.

Also pflichtet Seinem Treu-verpflichten Brüderlichen Freund bey

Johann Friderich Renger.

FRugibus infelix clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias , roremq; ministrat:
Fertilis ast molli flavescit campus aristâ,
Fructibus & multis turget Saturnia terra.
Fortunata domus , *Rückeri* Tecta beata,
Antiqvæ laudis queis nunquam deficit hæres,
Qui paribus seqvitur Genitorem passibus , hæres.
Hic Hermi campus , Lyciæq; uligine pinguis
Tellus , qvâ proles sibi singit Cynthus Author.
Conatu , *Fautor* , sacro cognoscere Patrem
Perge , Tui laudes Generisq; implere labora,
Vitis ut arboribus decori est , ut vitibus uvæ,
Sic fueris Patriæ pulcherrima Gloria stirpis.

NICOLAUS Geltner.

05 A 472



V3/12
Bahr





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-547247-p0036-8

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

I. N. J.
DISSERTATIO ACADEMICA
EXPO NENS
NOTAS ECCLESIAÆ
ORTHODOXÆ VERAS,
ET REFUTANS
BELLARMINI XV. FALSAS.
QVAM
PRÆSIDE
VIRO
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DN. JOH. DEUTSCHMANNO,
SS. THEOL. DOCT., EJUSDEM QVE PROF. PUBL.
IN HAC AD ALBIM ACADEMIA CELEBRATISSIMO, h.t.
DECANO SPECTATISSIMO, ALUMN. ELECTORAL.
EPHORO GRAVISSIMO,
DNO PATRONO, PRÆCEPTORE, STUDIO-
RUM QVE MEORUM PROMOTORE SUMMA ANIMI
OBSERVANTIA DEVENERANDO,
PUBLICÉ DEFENDET
R E S P O N D E N S
JOHANNES MICHAEL RÜCKER,
ROTENBURGO - FRANCUS,
A. d. Ic LXXVI.
D. XX. MARTII. HORIS ANTEMERIDIANIS.
IN AUDITORIO MAJORI.
WITTEBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

